Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8479
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



petrum et ad alium discipulum quem dili-
gebat ihs: et dixit eis. Tulerunt dominum de
monumento: et nescimus ubi posuerunt eum.
Exiit ergo petrus et ille alius discipulus: et ue-
nerunt ad monumentum. Currebant autem
duo simul: et ille alius discipulus precucurrit
cicius petro. et uenit prior ad monumentum.
Et cum iam se inclinasset: uidit lintheamina
posita non tamen introiuit. Uenit ergo symon
petrus sequens eum et introiuit in monumen-
tum: et uidit lintheamina posita et sudarium
quod fuerat super caput eius. non cum linthea-
minibus positum. sed separatum inuolutum in
unum locum. Tunc ergo introiuit et ille disci-
pulus qui uenerat prior ad monumentum: et
uidit et credidit. Non dum enim sciebant
scripturas: quia oportet eum resurgere a mortuis.

Rmi: Omne In octaua pasce. iohis apli.
quod natum est ex deo: uincit mundum. Et
hec est uictoria que uincit mundum fides nra.
Quis est autem qui uincit mundum. nisi qui
credit quoniam ihs est filius dei: Hic est qui
uenit per aquam et sanguinem ihs xps: non in
aqua solum. sed in aqua et sanguine. Et spus
est qui testificatur quoniam xps est ueritas: quia
tres sunt qui testimonium dant in terra. spus.